4

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA INAUGURALIS,

DE

FISTULA URETHRÆ VIRILIS,

QVAM,

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQVE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXVIII. D. OCTOBR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUCTOR RESPONDENS

JOANNES FRIDERICUS Becker,

HAL. MAGDEB.

HALÆ MAGDEB. TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.

VIRIS
EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS NOBILISSIMIS ATQUE EXPERIENTISSIMIS

DOMINO

DN. D. JO. THEODORO ELLERO,

SACR. REG. MAJEST. BORUSS. CONSILIARIO AULICO, COLLEGII MEDICO-CHIRURGICI BEROLINENSIS PROFESSORI THERAPEUTICES, SUPREMI COLLEGII MEDICI DECANO, MEDICO CASTRENSI PRIMARIO, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. COLLEGÆ,

NEC NON

DOMINO

DN. D. CASPARO NEUMANNO,

COLLEGII MEDICO CHIRURGICI BEROLINENSIS PROFESSORI CHYMIÆ PRACTICÆ, SUPREMI COLLEGII MEDICI MEMBRO, ACAD. CÆSAR. NAT. CURIOS. UT ET SOCIETATUM REGIARUM BRITANNICÆ ET BORUSSICÆ SODALI,

DNN. PATRONIS AC STUDIORUM MEORUM PROMOTORIBUS ÆTERNUM SUSPICIENDIS ET COLENDIS

DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM IN CULTUS SEMPITERNI PIGNUS

D. D. D.

AUCTOR.

VIRI EXCELLENTISSIMI.

PUblicæ literariæ arenæ quod jamjam committere aggredior, levidenſe qualiumcunque meorum, quos in arte feci, profectuum documentum, id Inclyto Nomini Veſtro conſecrare juſtum omnino neceſſariumque duxi. Poſtulant enim, imo jubent tot tantaque a Vobis, VIRI AMPLISSIMI, larga ſcaturigine in me derivata beneficia grati devotique animi officium, quod jam diu debeo, citius tamen perſolvere occaſionis viriumque recuſavit penuria. Jure certe meritiſſimo notandus

eſſem

essem ingratæ mentis macula, si alto obliterari paterer silentio, quam propenso ac plane paterno amoris affectu me & mea studia amplecti cœperitis, quum prima Vobis Berolini innotescendi mihi suppeditaretur occasio. Verum non Vobis satis erat, innumeris me in illustri hac civitate degentem cumulasse beneficiorum generibus, sed & post illa tempora, quin etiam ad hunc usque diem Vestro me dignati estis favore, ut, quotiescunque tacita apud me perpendo cogitatione, quam ardenti in moliminibus meis adjuvandis meaque salute promovenda flagretis desiderio, toties quoque ad edenda integerrimæ erga Vos reverentiæ meæ specimina instimuler. Ecquod autem luculentius gratitudinis testimonium, Vestris, licet nunquam satis ex æquo commendandis in me meritis plane impar, producere possem quam præsentem hanc Dissertationem Inauguralem, Vestro conspectui non solum sistendam, sed & Spectatissimo Nomini inscribendam. Accedit, quod Vestra insuper tutela protectioneque, utpote qui & auctoritate & rerum peritia ambo valetis, indigere mihi illa videbatur, quo a malevolorum obtrectationibns, quorum spicula sat gravia pertimescit, secura reddi possit tutaque. Suscipite igitur, VIRI EXCELLENTISSIMI, PATRONI EXIMII, suscipite serena placidaque fronte exilem hunc in-

genii mei fœtum leveque hoc munuſculum chartaceum in perpetuum debitæ pietatis, & obſervantiæ mnemoſynon certique eſtote, quod nulla unquam, quamdiu ſpiritus hos reget artus obſtrictiſſimum animum captura ſit præſtitæ benevolæ propenſionis oblivio. Servet Vos, precor, Supremum Numen in longiſſimam annorum ſeriem ſalvos ac incolumes in univerſæ rei literariæ ac inprimis artis medicæ incrementum ampliſſimum, Splendidiſſimarum Veſtrarum Familiarum florem perpetuum multorumque ægrotantium ſolamen exoptatiſſimum. Quod reliquum eſt, ſummæ Veſtræ benevolentiæ atque patrocinio me ut nullo non tempore commendatum habeatis, eſt, quod enixiſſime a Vobis peto contendoque. Valete & favete

EXCELLENTISSIMORUM
NOMINUM VESTRORUM

Cultori devotiſſimo

JOANNI FRIDERICO BECKERO.

I. N. J.



I. N. J.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA INAUGURALIS,

DE

FISTULA URETHRÆ VIRILIS.

PROOEMIUM.



CHirurgiam Medicinæ partem cum antiquiſſimam & præſtantiſſimam, tum maxime certam ac evidentem eſſe pariterque ad ſanitatem, partium inprimis externarum vitiis labefactatam, reducendam conſervandamque quam maxime contribuere, nemo, cuicunque artis hujus, quæ artificioſa manuum opera opem fert ægrotantibus, faciem propius intueri datum

tum est, ibii inficias. Ad antiquitatem enim quod attinet, jam ante Hippocratis tempora a Græcis, Arabibus, Ægyptiis, Babyloniis atque Chaldeis coli & exerceri suevit, imo ante diluvium prima ipsius fundamenta, quantumvis valde imperfecta, jacta fuere, cum secundum sacrum codicem, tyrannorum itemque facinorum turpium tunc temporis commissorum mentionem injicientem, non potuerint non omnis generis vulnerationes, plagæ, fracturæ, ambustiones aliæque læsiones accidere quamplurimæ. Ex prisco autem ævo præ reliquis Chironem, Æsculapium ejusque filios Machaonem & Podalirium Trojani belli tempore maxime inclaruisse, historiarum confirmant monumenta, utpote qui medendis vulneribus, ulceribus aliisque afflictionibus externis sanandis sedulam navaverunt operam. Inter omnes vero potissimum eminet ex eadem Æsculapii prosapia oriundus Hippocrates, quem postea Celsus, Galenus aliique plures secuti sunt, qui in Chirurgia excolenda, augenda eaque cum Medicina arcitissimo vinculo copulanda mirifice desudavit. Hac itaque ratione semper majora cepit incermenta Chirurgia, ubi tamen silentio involvi nequit, per aliquot postmodum secula barbara non ita magnos aut memoratu dignos in eadem æque ac reliquis scientiis progressus factos fuisse, donec tandem decinio quarto & præcipue superiori seculo nostrisque temporibus, ubi anatomes atque mechanices scientia magis agitata longeque cultior ac perfectior reddita fuit, pluribus operationibus, quas veneranda antiquitas ignoraverat,

raverat, aptioribusque instrumentis ac encheirisibus locupletata in altum illud, in quo nunc illam animadvertimus, fastigium perducta ac elevata est. Nunc ad Chirurgiæ evidentiam perspiciendam gradum jacturus, illam vel exinde comprobatam dari posse, judico, quod in aliorum morborum curationibus cum animum teneat suspensum, utrum vigori corporis, an medicinæ efficaciæ adscribi mereatur secunda valetudo, in hac arte, quæ manu curat, verissimum sit, manifestiusque sensibus pateat, omnem fere bonum successum plurimum a sola chirurgi, nec temere, nec timide se gerentis, peritia atque solertia derivandum esse, imo nonnunquam ipsius dexteritati in totum deberi, id quod diversæ lithotomiam instituendi methodi, luxationum repositiones, artuum amputationes, fistularum commodæ sectiones atque curationes & id genus alia satis superque evincunt, ita ut ulteriore argumentorum allegatione supersedere possim. Quibus omnibus itaque sæpius sub rationis examen vocatis, suasu & ductu Excell. Dn. Præceptorum nixus, nervos industriæ maxime omnium in sufficiente chirurgicæ artis notitia acquirenda collocavi & cum Gratiosi Medicorum Ordinis consensu speciminis inauguralis loco eruditorum censuræ thema exhibendum esset, ita placuit præ aliis chirurgicum seligere & circa Fistulæ Urethræ Virilis enucleationem pro ingenii modulo vires proprias periclitari. Hujus vero affectus disquisitionem dum paro & aggredior, ante

omnia Deum Ter Optimum Maximum supplex veneror, ut gratia sua benignissima hunc laborem & meditationes huic negotio impensas fovere ac in solatium miserorum mortalium dirigere dignetur clementissime. Amicum autem lectorem, quodsi non omnia acu tacta deprehendat, humanissime rogo, recordetur illius Senecæ eloquii, quod magnarum rerum etiamsi successus non fuerit, ipse conatus sit honestus.

§. I.

PAthologicam Fistulæ Urethræ Virilis pertractationem suscepturus operæ pretium duxi, brevem quandam delineationem anatomicam tum meatus urinarii, tum prostatarum atque vesicularum seminalium tanquam partium ad pleniorem hujus fistulæ explicationem haud leve pondus afferentium quoad situm, connexionem, structuram atque fabricam paulo solertius præmittere, quo intellecto naturali harum partium statu in indaganda & rimanda earum præternaturali & morbosa constitutione eo felicius & facilius commorari possimus. Est autem Urethra virilis canalis membranaceus, longitudine duodecim, aut tredecim pollicum, amplitudine calamum scriptorium adæquans, a vesicæ collo, cui conjungitur, ad glandis usque apicem exporrectus, urinæ & seminis transmissioni inserviens.

§. II.

Quod ad situm urethræ attinet, illum nanciscitur

tur in ſulco, quem concedit interſtitium in parte inferiori duorum corporum nervoſorum penis conſpicuum & quidem a loco coalitionis horum corporum ad extremum glandis usque. Progreſſum autem ſervat ſuum urethra non recta via, ſed a parte, inter proſtatam, principium urethræ cingentem, & initia cavernoſi urethræ corporis poſita, omnium optime adnotante Morgagn. Adverſ. Anat. III. p. 82. in ſingularem ducitur flexuram, ita ut, quemadmodum primum paululum juxta inteſtinum rectum deſcenſum formaverat urethra, nunc ab anteriore illius parte ad corporum penis cavernoſorum mutuam junctionem aſſurgendo pergat, ubi poſtea cum ipſo pene deorſum flexa atque pendens obſervatur. Conflata eſt urethra ex duabus membranis, exteriore & interiore & corpore his interpoſito ſpongioſo, per quod ab autoribus, ut a Terraneo Libro de Glandulis parvæ glandulæ ſparſæ dicuntur. Notatu dignum eſt, quod ſpongioſum ejus corpus non æqualis undiquaque craſſitiei deprehendatur, ſed inter finem proſtatæ & corporum nervoſorum concurſum notabilem præ ſe ferat craſſitiem, protuberantiam, quæ bulbus urethræ vocari ſolet, efformando, deinde vero ſub reliquo decurſu magis attenuetur, donec in glande rurſus expandatur externamque hujus ſubſtantiam ſpongioſam totam conſtituendo deſinat, quemadmodum Ruyſchius in Obſerv. Anat. Chirurg. obſ. 100. idem confirmat, contra Regnerum de Graaf, qui lib. de org. vir. genit. ſpongioſum urethræ corpus in glande penitus obliterari autumavit. Hic non reticen-

ticendum esse censeo, descriptum hoc urethræ corpus sub inflatione atque erectione penis sanguine quoque repleri hacque ratione ad majorem peni expansionem conciliandam symbolum pariter conferre suum, flaccescente vero pene rursus detumescere hujusque corporis adeoque & glandis turgescentiam toties contingere, quoties corpora nervosa penis turgere cernantur & vice versa. Attentionem porro meretur superficies urethræ interior, quæ in inferiore parte prope vesicæ collum eminentia quadam longitudinali caput gallinaceum appellari solita, dotata animadvertitur, ad cujus latera proxime communes vesiculis seminalibus & vasis deferentibus ductus duplici orificio semen expellunt, secus ac Leal Lealis Epist. de part. sem. in vir. conf. & eum secutus Vir quidam in Belgio celeberrimus docent, uno nempe canale excretorio vesiculas seminales in urethram hiare, αὐτοψία contrarium monstrante, asserentes. Inter hæc duo foramina tertium quoddam conspici solet, interdum his paulo superius aut inferius & paulo majore apertura instar parvæ fissuræ præditum, quæ secundum dictæ eminentiæ longitudinem incisione dilatata sinulum compressis vesiculis semen eructantem oculis objicit. Hoc foramen a Cl. Morgagnio detectum in Adverf. Anatom. IV. p. 6. accuratius descriptum est & in quam plurimis subjectis facili reperitur negotio. Præter dicta vero foramina adhuc plura circa caput gallinaceum visui se offerunt orificia, numero decem aut duodecim complectentia, quæ totidem emissariis a prostata ortum

trahen-

trahentibus & in urethra liquidum deponentibus debentur. Reliquum superficiei interioris urethræ quod spectat, tunc illud variis foraminibus seu osculis excretoriis, in quibus varii terminantur ductuli, rotundis & oblongis obsessum est, inprimis vero in supremo urethræ, quo corporibus nervosis alligatur pariete, extat linea quædam albicans, in cujus lineæ fere medio locuta observantur secundum urethræ longitudinem foramine majora oblonga, inquirentium oculis facile se sistentia, quæ compressione humorem subalbidum spissioris substantiæ exhibent, de quibus conferantur Morgagn. Adversf. I. Tab. 4. Fig. 4. Majora vero hæc foramina non sola sunt, quæ urethram permeant, sed longe plura, minora tamen, hinc inde sparsa in interna ejus tunica occurrunt foraminula, liquorem descripto haud absimilem identidem proferentia. Num vero peculiaribus ortum debeant glandulis hæc oscula & ductus, hoc nondum ex anatomicis pro certo affirmari potest. Omnium denique horum ostiolorum usus in eo consistere videtur, ut liquido, quod ab iisdem destillat, lubricum redditum urethræ cavum partim transituro semini faciliorem concedat transgressum, partim etiam ut ab urina majorem forsan acrimoniam nacta defendatur.

§. III.

Sequuntur consideranda corpora nonnulla glandulosa, urethræ apposita atque annexa, inter quæ primo loco ponendæ erunt Prostatæ sive uti a recentioribus rectius vocantur, Prostata, quæ corpus quod-

dam oblongo globosum, cordiforme, urethræ principio circumnatum & instar nucis juglandis magnum exhibet. Mox ante vesicæ collum non procul a vesiculis seminalibus situm habet & construitur ex duodecim communiter glandularum classibus, liquidum secretum in totidem loculos, nullam prorsus inter se communicationem foventes, deponentibus, unde duodecim rursus canales excretorii prognati liquorem albicantem, pinguem, spermate aquosiorem in urethram expellunt. Quo vero ipsius se & excretio facilitetur, fibris muscularibus circum septa est prostata, quæ non solum exteriora cingendo, sed & in interiora se immergendo ad se & excernendum contentum humidum symbolum conferunt suum. Hic humor urethræ lubricandæ inservit & cum tempore coitus simul effundatur, videtur semen spissius diluere ipsique vehiculum subministrare, quo eo melius atque vegetius ipsius per penem ejaculatio succedere possit. Dantur ulterius adhuc aliæ tres minores glandulæ a solertissimo Angliæ Anatomico Guil. Cowpero detectæ atque in ejus descript. glandul. nuper detect. diligentius expositæ, a quibusdam prostatæ minores, ab inventore autem glandulæ mucosæ dictæ, quarum duæ, in utroque urethræ latere una, inter bulbum ejusdem & musculos acceleratores sitæ deprehenduntur, parvum phaseolum magnitudine fere referentes & humorem quendam glutinosum per peculiarem meatum excretorium, quo quævis gaudet glandula, in urethram evomentes: Tertia autem lentem repræsentans in angulo curvaturæ ure-

thræ

thræ ſub offibus pubis intra ſpongioſam ejus texturam ſitum habens venditatur. Perraro inveniuntur glandulæ hæ Cowperianæ, ſumma quantumvis induſtria, locum ubi poſitæ deſcribuntur viciniamque omnem perquiras, ita ut in dubium tantum non vocari poſſent, niſi exercitatiſſimus Morgagnius, ſe eas plus vice ſimplici in variis cadaveribus offendiſſe in Adverſ. Anatom. IV. pag. 25. fateatur. Tandem non omittenda eſt glandula Littriana quæ ſtatim ſub terminatione proſtatæ inter urethræ membranas & quidem internam ejus membranam in formam Zonæ cingendo ſita conſpicitur. Latitudine pollicem, craſſitie vero duas lineas æquat; cæterum colorem præ ſe fert obſcure rubicundum, pariterque liquidum per aliquot foraminula in urethram exprimit.

§. IV.

Peculiares quoque ſunt muſculi, qui ad urethram ejusque dilatationem atque conſtrictionem pertinent. Dilatationi inſerviunt muſculi transverſi & Dilatator poſticus. Transverſi a Fabricio ab Aquapendente inventi naſcuntur maximam partem, niſi deſint, a tubere offium Iſchii & in poſteriora & ſuperiora bulbi urethræ inſeruntur. Dilatator poſticus vero ſive Triangularis, quem Littrius inter urethræ dilatatores primum retulit, principium capit ex parte inferiore & antica ſphincteris inteſtini recti & finitur in bulbi urethræ parte inferiore & poſtica. Deficientibus muſculis transverſis hic, qui alias gtacilior atque non adeo conſpicuus, magis carnoſus

atque perfectus deprehenditur, quo majori polleat capacitate priorum vices supplendi. Recensitorum vero musculorum functio in eo consistit, ut ampliando & diducendo urethram faciliorem liquido, sive semen sive urina fuerit, introitum concedant, quod deinde mediante urethræ compressione atque constrictione penitus expellendum est. Huic constrictioni peragendæ velificantur musculi acceleratores, qui uno extremo utrinque forti corporum penis spongiosorum membranæ annexi, in quo loco ob terminos firmiores ortus quoque ipsis assignari potest, fibris oblique decurrentibus cavernosam urethrae substantiam ejusque bulbum ambiunt atque altero extremo in linea, quae ex horum junctione saepius formatur inque bulbi medio visui se praebet, terminantur. Hi musculi, dum agunt, constringunt bulbum adhaerentemque urethram, qua constrictione, quotiescunque penis inflatur atque erigitur, non solum sanguis ad ejus distensionem adaugendam intra spongiosum urethrae corpus fortius cogitur atque versus glandem propellitur, sed horum musculorum contractione etiam id efficitur, ut semen in coitu atque urina sub mictu ex urethra expellantur. Discreta tamen ratione id succedere in seminis ac in urinae emisione, probabile est, eo quod sub seminis, manifestis subsultibus excerni soliti ejaculatione per vices se contrahant ac rursus remittantur hi musculi, quod sub urinae egressu non observatur, in quo itaque eos potissimum tunc agere, judicandum est, quando excreta urina illa, quae

in

in urethra substiterat, adeoque postremae guttae foras ejiciendae sunt. Quare his musculis in senio confectis non rite officio suo defungentibus lotii reliquiae non aliquo impetu expelluntur, sed potius guttatim ex urethra stillant, quod non solum insignem parit molestiam, sed & ad erosionem urethrae ab urina, ibi diutius moram nectente, inducendam occasionem suggerit amplissimam. Gaudet quoque urethra cum annexis glandulis & musculis copiosis, vasorum sanguiferorum tam arteriosorum, quam venosorum, ramificationibus, quae partim a pudendis internis tanquam ramis iliacorum internorum sive hypogastricorum, partim a pudendis externis, quae per exteriora magis distribuuntur & iliacorum externorum propagines sunt, suam trahunt originem. Neque destituuntur hæ partes vasis lymphaticis, utpote quae a Cowpero in Myotom. reform. & Drackio in Antropologia egregie descripta atque delineata exhibentur. Quod ad nervos attinet, nanciscuntur illos praecipue ab ultimis ex osse sacro prodeuntibus, non excluso simul nervo intercostali, qui variis surculis urethrae, prostatis, musculis constrictoribus atque dilatatoribus reliquisque vicinis partibus prospiciunt.

§. V.

Devolvor nunc ad vesicularum seminalium perlustrationem, quae sunt capsulae duae membranaceae, secundum Lealem intestinula caeca repraesentantes, in diversas cellulas, gyros & anfractus ita distributae, ut communicatione inter se invicem fru-

antur. Locantur inter inteſtinum rectum ad partem poſteriorem colli veſicae, quorum propterea membranis connectuntur, inſuperque ex membrana ſatis valida ſunt conflatae, quo ſe conſtringere atque ſemen binis in hunc finem formatis ductibus in meatum urinarium evomere poſſint. In his veſiculis ſemen per vaſa deferentia advectum colligitur, reconditur & diutius in futura veneris exercitia aſſervatur, ſecus ac contingit in canibus, qui receptaculis iſtis ſeminis retentioni dicatis privati, operoſius coitum celebrare coguntur ob excreſcentiam, qua gaudent in pene ſpongioſam, ſub congreſſu turgidam redditam, nec prius, quam ſufficienter emiſſum fuerit ſemen, rurſus detumeſcentem. Quum vero in dictis capſulis ſuccus deponatur ſeminalis nec in veneri litantibus excernatur, admodum probabile eſt, tenuiſſimam ejus partem per vaſa lymphatica ad interiora corporis regredi horumque beneficio in maſſam humorum denuo infundi. Reſpectu vaſorum ſanguiferorum notandum, illa proficiſci a pudendis internis, quae praeter veſiculas ſeminales, collo veſicæ, levatoribus ani pluribusque aliis partibus ramos largiuntur. Neque minus hic praeſto ſunt nervoſae propagines, utpote quae partim nervo intercoſtali, partim ultimis ſpinalis medullae nervis ex oſſe ſacro egredientibus debentur.

§. VI.

Explicata ſic & evoluta ex anatomicis urethrae, veſicularum ſeminalium & proſtatarum deſcriptione, quantum quidem eam ad potiſſimorum phaenomeno-

meno-

menorum explanationem neceſſariam eſſe reputavi, ad ipſam fiſtulae, cui dictae hae partes patent atque obnoxiae ſunt, inveſtigationem me accingo. Intelligo vero per fiſtulam urethrae ulcus inveteratum, plus minus ſinuoſum, callo obſeſſum, materiam pravam ichoroſam diſtincte fœtentem fundens, urethram ejusque partes vicinas diverſimode infeſtans.

§. VII.

Ulceris inveterati nomine hanc ob rationem inſignitur, quod a corruptione humorum inprimis lymphatico-ſeroſorum hincque producta partium fibroſarum ſordida ac putrida ſucceſſiva dilaceratione & exeſione primordia capeſſat atque excretione humoris ſanioſi, interdum manantis, interdum ſpiſſioris, pro partium læſarum ratione colore atque odore valde adverſi ſtipatum ſit. Unde toto cœlo diſtat ab apoſtemate, quod cavitatem ſatis amplam exhibet & pus laudabile bene coctum, nempe materiam quandam albicantem, non adeo liquidam atque tenuem, ſed paulo craſſioris conſiſtentiæ, ſtriis cruentis conſperſam complectitur, ut ita axioma, ubi pus, ibi ulcus eſt, veritati haud ſit conſentaneum. Sinuoſum ſolet eſſe hoc ulcus, vel unum ſimplicem ductum depaſcente ſua virtute ſibi formans, vel etiam pluribus anguſtis cavernulis & tractibus hinc inde excurrens: cum vero non ſaltim ſit ſinuoſum, ſed etiam fiſtuloſum ulcus & ad eſſentiam fiſtulæ pertineat, ut ſemper cum duritie & calloſitate præſertim in labiis externis ſit conjuncta, quibus reſpectibus ab

ulcere quoque sinuoso differt, quantumvis alias ulcera omnia vel ratione corporis pravis humoribus referti, vel ex incongrua Medici cura, vel ex inobedientia patientis reddi possint callosa, hinc præsens quoque, de quo agitur ulcus fistulosum, callositatibus coalitionem impedientibus obsessum atque obductum animadvertitur. Labiis enim hujus fistulæ callosa satis firma atque dura substantia accreta conspicitur, quæ, quo inveteratior est, eo magis interiora, carnem nempe subjectam & totum fistulæ ductum investit majoraque indies capit incrementa, orificiis non raro ita præclusis, ut haud sufficiens ad fundum fistulæ pateat aditus, quare ob talem occallescentiam specillum cavitati intrusum sensum dolorificum haud inducit neque sanguine conspergitur adeoque parum dolentem talem fistulam esse subindicat.

§. VIII.

Hæc urethræ virilis fistula foramine extus in perinæo apparente communiter perinæi fistula vocari solet, ita quidem, ut in compluribus quoque libris chirurgicis, de priore alias penitus silentibus, per hanc ultimam nullam aliam nisi urethræ fistulam maximam partem subintellectam deprehendamus, minus tamen adæquate & accurate illud fieri exinde liquet, quod fistulæ perinæi adesse possint citra urethræ læsionem & vicissim urethram invadere deprehendantur ulcera fistulosa, ubi perinaeum salvum est & integrum, tametsi negari nequeat, haud raro utrasque has partes caussa inprimis externa ansam suppeditante talibus insimul affici posse ulcerationibus

nibus. Rectius itaque nomen sibi vindicat haec fistula a parte, quam præcipue destruit atque corrumpit. Infestat vero potissimum illam urethræ partem, quæ perinæo atque scroto opposita deprehenditur ibique non tantum illam solam pervadit, sed & sæpius partes adjacentes, prostatas, vesiculas seminales, vesicæ collum atque membranas intimius perreptat, perruptione nonnunquam facta in perinæo, quæ tanto facilius ab externa prægressa læsione accidit, variisque cuniculis versus scrotum pariter ac intestinum rectum excurrentibus, illudque perforantibus, effluente simul urina & materia saniosa per anum, qualem fistulam in milite a causa venerea accedente contusione harum partium obortam vidi, qua etiam hecticodeis febrilibus commotionibus supervenientibus occubuit. Similis notæ fistularum urethræ exempla, quanquam respectu nonnullarum circumstantiarum aliquantum diversa consignata legi possunt passim in observationibus apud Hildanum, Marchettum atque Forestum. Quae vero reliquum urethrae tractum corporibus cavernosis penis junctum afficiunt ulcera fistulosa, illa aut rarius occurrunt, aut pro fistulosis non sunt habenda, qua de causa etiam de prioribus modo allegatis in praesenti dissertatione mihi praecipuus erit sermo.

§. IX.

Quod vero urethram prae reliquis corporis partibus facilius aggrediantur ulcera fistulosa, nulla alia videtur subesse ratio, quam quod largiori humorum decubitui atque transfluxui magis exposita sit,

dum a lymphatico-feroſo liquido ex ductibus & canaliculis Morgagni copioſius promanante, ut & ex proſtatis ſaepius exprimi ſolito non ſolum ubertim irrigatur, ſed & aqueo-ſalinus humor, urina nempe tranſiens illam perpetuo madidam relinquit, unde non poteſt aliter fieri, quin facta urethrae vulneratione in lithotomia vel alia ipſius undecunque prognata læſione urina ſalibus acribus onuſta eroſioni atque exulcerationi inferendæ inſignem in modum velificetur, ſub qua ulceroſa corruptione materia ichoroſa, quæ a tali ulcere ſeparatur, continuo pravarum humiditatum affluxu ſuſtentata ulterius ſemper proſerpendo fiſtuloſam demum reddit urethram ſimilemque partibus vicinis labem adſpergit. Quare in deplorando verſantur ſtatu ægroti, tali fiſtula, apertura inprimis, per quam perpetuo urina effluit, in perinæo conjuncta, laborantes, cum partim interdum fundamentalis non expectanda ſit curatio ob varia impedimenta remotu difficillima fuſius infra exponenda, partim etiam nullo non tempore contingens humoris ſanioſi atque urinæ effluxus linteamina madefaciendo & conſpurcando ſummas creet moleſtias, per ſat inſigne temporis ſpatium aut forſan nonnunquam per integrum vitæ decurſum ab ægrotante patienti animo perferendas.

§. X.

Gradum nunc jacio ad differentias fiſtularum urethræ penſitandas, utpote quarum indagationem ad curam feliciori ſucceſſu ſuſcipiendam momentum haud contemnendum afferre judico. Diſpeſci autem

tem possunt varie juxta diversitatem observationum chirurgicarum hæ fistulæ & quidem præcipue ratione aperturæ suæ in patentes atque latentes sive cæcas, illæ apertura in partibus externis obvia, quod præcipue hic valet de perinæo atque scroto, oculis se objiciunt, hæ vero foramine introrsum spectante urethram pertundunt, materiam saniosam in ejus cavum dimittendo. Porro eas distingui posse existimo in internas & externas, inter quas priores intus feruntur, perforando ipsum urethræ corpus, imo per partes interdum contiguas, vesicam, intestinum rectum progrediendo: posteriores vero ad latus urethræ serpendo illam in superficie saltim arrodunt ac afficiunt vel etiam intra ejus substantiam se insinuant. Non minus quoque dividi possunt in completas & incompletas, quarum illæ partes internas æque ac externas perreptant atque apertura tam exterius, quam interius conspicua se produnt, cum hæ e contrario orificio vel intus vel extus solum existente se manifestent. Notabile ulterius discrimen admittunt respectu temporis sive durationis, ubi calli consideratio haud negligenda; etenim dantur recentes limbum minus durum habentes & callo tenuiore stipatæ: dantur quoque antiquæ & inveteratæ, quarum perpetui comites collositates solidiores & compactiores cernuntur. Tandem differentiam desumere licet a simplicitate & multiplicitate ac figura harum fistularum, dum aliæ simplices sunt, aliæ in plures cavernas divisæ, quæ tamen in unum tractum terminantur: aliæ demum recta, aliæ flexa & tortuosa

tuosa via incedunt atque urethram partesque vicinas occupant. Quas quidem diversitates omnes respicere plurimum refert, quando quæstio incidit de fistuloso urethræ ulcere.

§. XI.

Observatis igitur atque ponderatis, quæ partim in definitione, partim in differentiis harum fistularum in medium fuere adducta, facilius erit discretam earum diagnosin paulo diligentius exponere. Dignoscitur autem ulcus fistulosum intra urethræ texturam abiens & in ejus cavum plane penetrans, salvis ac illæsis permanentibus partibus externis, ex materiæ saniosæ acris per urethram emissione. Conjunctus est præterea tumor in regione perinæi magnitudine ovum columbinum interdum superans, interdum quoque minus spatium occupans, qui materia ejusmodi heterogenea repletus, in aliis sensum minus dolorificum inferendo, in aliis pruritum, ardorem atque dolorem pariendo maxime sub mictu, ob collum vesicæ in consensum plerumque trahi solitum, patientem determinat ad sui compressionem, qua facta insignem ichoris ex urethra dein prosilientis quantitatem eructat, donec intercedente aliquo temporis spatio rursus turgidus denuo evacuationem urgeat. Quod si sectione aperiatur ejusmodi tumor, prout jam inveteravit aut adhuc recentior fuit, parietes callo quoque plus minus obductos exhibet, insuperque foramine uno notabili aut pluribus in urethram hiantibus nonnullisque cuniculis lateraliter exspatiantibus se conspicien-

ciendum præbet, quemadmodum talem fiſtulam non ſolum aliquot vicibus in noſocomiis, ſed etiam hic loci obſervare mihi licuit. Si vero intra urethræ ſubſtantiam, illam non perforando, fiſtula proſerpat, apertura ſimul in perinæo apparente, tunc illa detegitur immiſſione ſpecilli & dilatatione orificii, quando illud per callum nimis arctum redditum accuratiori impedimentum objecerit explorationi. Quæ porro fiſtula introrſum in urethra & extrorſum in perinæo aut ſcroto apertura gaudet, in illa ſaniei pariter atque urinæ effluxus, per ſummam cutem exiens, obſervabitur & quo pluribus has partes pertuſas deprehendes foraminibus, eo plures quoque prorumpentis urinæ numerabis ſcaturigines. An demum fiſtulæ varii aſſociati ſint anfractus & mæandri, id judicari poteſt ex quantitate ichoris effluentis: quo plus enim materiæ ichoroſæ excernitur, quam quidem ſimplici ſpatio convenit unicusque ſinus ad ſenſum ſæpe exiguus capere non videtur, plures intus cuniculos reconditos eſſe, haud citra rationem colligendum. Idem patebit exploratione per candelam ceream aut ſpecillum flexile inſtituta, vel pro re nata unius vel alterius ſinus diſſectione, quo eo facilior detur copia reliquorum progreſſum penitius inſpiciendi. Diverſo curſu exſpatiantur mæandri hi in ambitu penis atque ſcroti, de quo teſtantur Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. 3. Ann. I. quæ quintuplicis in pene atque ſcroto fiſtulæ per fonticulos quaſi quinque urinoſum laticem transmittentis mentionem faciunt. Præterea quoque reliquas urethræ adjacentes partes pervadunt,

dunt, dum non tantum ad veficæ collum ipſamque veſicam, ſed & interdum ad inguina usque evagantur, qualis caſus meminit Petrus de Marchettis in obſervat. Medico Chirurg. Sylloge Obſ. LIX. Parili ratione nonnunquam ad inteſtinum rectum deflectunt illudque perforant, unde urina per anum profluit & ſubinde pro conditione & diverſitate ſitus ſinuum feces alvinæ & materia ſanioſa cum urina excernuntur, quemadmodum exemplum §. VIII. propoſitum id confirmat.

§. XII.

Cauſas fiſtularum urethræ æqua animi lance nunc ponderandas dum aggredior, eas commode in internas & externas dividi poſſe arbitror. Inter internas non exigui momenti cenſendum eſt ulcus urethræ profundiore infectione a gonorrhœa productum, quæ cum proſtatarum exulceratione plerumque foveatur, adſtipulante Bartholino Cent. 2. Hiſtor. Anatom. 36. ita ſucceſſu temporis inveterata & radicata reddita ulcus conſtituit, quod ſanie, quam ſemper fundit, virulenta acri, partes ſubjectas altius exedendo ſinus & calloſitates ſibi efficit, quæ poſtea de fiſtulæ præſentia ſufficiens perhibent teſtimonium, cujus commatis caſus aliquot Excell. Dn. Præſes, Patronus ac Præceptor meus ætatem venerandus pro ſua in me benevolentia communicavit. Huc quoque referri debet urinæ incarceratio atque retentio ob urethræ, per quam alias urina emitti ſolet, obſtructionem, a qualicunque illa demum provenerit cauſa, inter quas tamen communiſſimam eſſe, nul-

lum

lum eſt dubium, carunculam, ſeu, uti peritiores inter modernos e. g. Brunnerus in Ephemerid. Germanic. Cent. I. &. II. ſtatuunt, illius anguſtiam & coarctationem ab ulceribus hujus meatus, dum ad conſolidationem perducuntur, obortam, quæ impedimento eſt, quo minus pleno, ut ajunt, alveo effluat urina, ſed potius inſtar fili exigui magnis cum niſibus & doloribus excernatur, quid? quod ſæpius omnimode ſupprimatur, unde feroſus hic humor majorem longiori mora acredinem aſſumens & in corruptionem abiens aliud ſibi patefacit iter, accerſendo inflammationem & abſceſſum, haud raro cum gangræna perinæi atque ſcroti & ſubſtantiæ urethræ amiſſione conjunctum, ut dein, qua datur porta prorumpat frequentiusque fiſtulam vix ſanabilem poſt ſe relinquat, qua de re evolvatur Hildanus Cent. 5. obſ. 77. necnon Theod. Kerckringius obſ. 54. pag. 115. de egeno quodam, cujus in cadavere infra ſcrotum fiſtula fuerit reperta, referens, quod per hanc ob urethram tranſitum negantem viam ſibi paraſſet urina. Ejusdem pariter, ſi non pejoris notæ ſymptomata ab acribus & corroſivis uſurpatis ad tollendas carnoſas in urethra excreſcentias notatas vide apud Henr. a Moinichen obſ. 17.

§. XIII.

Cauſis internis etiam annumerari debet prava humorum conſtitutio & dyſcraſia ſcorbutica, potiſſimum autem virus venereum cum corpore communicatum & intra ipſius compagem deliteſcens hic accuſari meretur. Sæpius enim cauſam violentam

externam prægressam si excipias, ab humoribus heterogeneis impuris aliquando confluentibus & in stasin delapsis, vel a fluxu seminis calidioribus diureticis & fortioribus stimulantibus tractato, aut ab adstringentibus suppresso urethræ partiumque conterminarum inflammationem produci deprehendimus, quæ febre perpetua insigniorum inflammationum comite stipata postmodum, nisi discutiatur, in abscessum degenerat, quem hic curare cum sit gravissimum teste Severino de recond. abscess. natura, facillimo identidem negotio in ulcus & fistulam facessentem. Quod vero exinde tam facile progignatur ulcus ejusmodi fistulosum, mirandum non est, si perpendatur, in recensitis his morbosis affectibus humores ipsos, per vasorum systema circulari motu progredientes, particulis excrementiis ad corruptionem pronissimis refertos esse, vel ipsa organa, in quibus ulcus nidulatur, jam antea nimis debilitata & a tono suo dejecta esse, hinc non aliter fieri potest, quin fluida corporis nostri, extra circulum posita motuque intestino agitata, acriorem corruptionis qualitatem induant, quæ partium, quas afficiunt, fibras magis corrodendo & depascendo capaciores sibi efformant cavitates. Accedit quod apostema, ab inflammatione his in partibus facta, enatum multum faveat generationi præsentis ulceris, quando ipsius apertio nimis prorogatur aut etiam, si dissectum fuerit, debita ejus mundificatio & abstersio posthabetur, unde materia purulenta vel prorsus effluere nescia, vel satis commodum ad minimum exitum haud inveniens majorem

jorem ulteriore retentione erodendi facultatem contrahendo in nocivum tranſit ichorem, gravitate ſua per poros deſcendentem, neque minus acrimonia, qua pollet, fibras, membranas & vaſa exedendo & dilacerando cuniculos & latibula ſibi parantem, quæ diuturnitate temporis per partes quoque adjacentes progreſſum ſuum extendere animadvertuntur. Addendum porro, ulcera ejus generis a præterfluente & allabente acri urina pertinacius foveri, dum hac ipſa ſuccus nutritius laudabilis corpuſculaque gelatinoſa, ſubſtantiæ deperditæ reſtaurationem promoventia, abſterguntur partesque magis arroduntur, ut adeo conſolidatio & novæ carnis accretio mirum quantum impediatur. Cur vero ſinuum orificia & parietes callo obducantur, ratio dubio procul hæc afferri poteſt, quod videlicet partes fibroſæ ac tubuloſæ, a detento pravo humore diſciſſæ & diſſolutæ, ad principia ſua recedant & in undulatam quaſi ſuperficiem corrugentur & quidem hoc eo facilius, cum in ſtatu integro tenſioni ſuæ ſemper reſiſtentes ſe abbreviare malint. Sub hac itaque contractione evenit, ut liquida intra fibrarum interſtitia ſe moventia expellantur, quo facto non poſſunt non propius ad ſe invicem accedere harum latera, imo penitus coaleſcere ſicque duritiem, calli nomine inſignitam, in tota ſinus elongatione producere. Adjiciendum & hoc loco aliquid eſt de aëris in callo generando efficacia. Habet enim hic id ſingulare, quod, niſi ab ulceribus, inprimis ſub eorum deligatione diligentius arceatur, ob liberiorem ſui

admiſſionem fibras jam contractas magis conſtringat, firmioremque fluidorum tranſitui obicem ponendo majus callo incrementum addat. Apparet etiam hinc ratio cur callo præſente nulla partium coalitio expectanda ſit, utpote quæ debito ſucci nutritii appulſu per vaſa ad omnes corporis partes ne minimis quidem excluſis abſolvi ac perfici debet, quod vero hic denegatur, cum vaſa occluſa advecti hujus ſucci cum ſanguine ingreſſui non amplius cedant nec ulterius ſe extendi patiantur.

§. XIV.

Reſtant adhuc commemorandæ cauſæ externæ, quarum ſat magnus ſe offert numerus, inter quas tamen frequentiſſimam eſſe judico vulnus urethræ ſub calculi ex veſica extractione factum. Compertum enim eſt, ſub negotio lithotomiæ per majorem ſpetiatim apparatum adminiſtrandæ in perinæo ſeu ſpatio inter ſcrotum & anum intercedente, urethram non procul a veſicæ collo, præcipue, ſi ſectio quadantenus extendatur, incidi, quo mediante hac aperture accommodatis in veſicam per ejus collum immiſſis inſtrumentis calculus eximi poſſit. Negandum quidem hic non eſt, pariter urethram aperiri ſub minimo apparatu, a prudentioribus chirurgis noſtris temporibus tunc ſaltim adornari ſolito, quando ipſi veſicæ collo aut principio urethræ calculus progredi neſcius inhæreſcit, cum tamen hic caſus rarius obtingat, ita prioris methodi mentionem ex profeſſo tantum injicere placuit. Evenit autem ſub urethræ læſione, ut illa in ſymptoma calculo ſectis moleſtis-

lestissimum, fistulam nempe, facile degeneret, quod rursus variis de causis accidere potest. Et quidem primum nominari meretur culpa chirurgi, quatenus turundis aut cannulis justo diutius utitur, quorum abusu efficitur, ut labia vulneris nimium iisdem compressa callosa & sinuosa evadant. Taceo quod Chirurgus etiam accusandus sit, quanpo sufficientem repurgandi, aut abstergendi vulneris curam non habuit, sed potius præmaturam ipsius consolidationem acceleravit; nec minus, si præterlapsis quatuor aut quinque diebus exactiorem labiorem dehiscentium appropinquationem conveniente constrictione aut compressis lateraliter admotis aut emplastrorum glutinantium applicatione non promoverit. Respectu patientis itidem fistula induci potest, si vel urina salibus acribus abundans perpetua sua transgressione consolidationem turbet vel insignis urethræ partiumque conterminarum dilaceratio a calculo asperiore aut nimium volumen complectente, suppuratione graviore excitata, citiorem coalitum sufflaminet, vel denique ipse patiens vitioso regimine circa diætam, animi pathemata & motum corporis, vel ob insufficientem crurum compressionem vulnus in deteriorem statum deducat. Præterea fistulam urethræ progenerare possunt adhuc aliæ causæ externæ, qualis census sunt contusiones ex equitatione, remigatione, ictu, casu ab alto &c. quæ cum ratione superius allata occasionem fistulis pariendis subministrent, ita iisdem prolixius enucleandis supersedere consultum duxi.

§. XV.

§. XV.

Confero me jam ad Prognosin tradendam, quæ cum scopum haud semper nanciscatur exoptatum, magna cum circumspectione suggerenda est; tantum enim negotii interdum facessit hæc fistula, ut scandalum chirurgorum fere audire possit. Legatur in hunc finem Hildanus Cent. 5. obs. 75. ita disserens: "Videant juniores chirurgi, ut in prognostico „fistularum perinæi (per quas hic loci eas, quæ ure-„thram præcipue infestant, intelligit) sint prudentes. „Si enim ex caussa interna facta fuerit fistula, nun-„quam perfecte sanatur. Obducitur quidem nonnun-„quam cicatrice, sed facillime a causa aliqua interna „recrudescit & nonnunquam, si ad tempus clausa per-„sistit, gravissima symptomata subsequuntur.„ In universum quidem difficillime sanantur omnes hæ fistulæ, quædam tamen ex istis curatu faciliores, difficilioresve aut plane incurabiles æstimandæ sunt, ad quas circumstantias omnes in prognosi æque ac cura diligenter animo attendendum est. Fistula itaque urethræ, quæ substantiam ejus saltim invadit, nec in ejus cavum penetrat, callo insuper molliori obsessa & apertura extrinsecus prædita est, curationem præ reliquis facilius admittit. Idem judicium ferendum est, si fistulam hanc adhuc recentiorem nonnulli sinus & cuniculi comitentur per partes vicinas externas, inprimis per panniculum adiposum, ob vesicularem, qua gaudet, substantiam saniei facile cedentem, breviori cursu serpentes, unde ob minus gravem partium corruptionem facilior quoque speranda sanatio. Difficilioris

lioris vero curationis illæ ſunt, quæ urethram aeque ac integumenta externa pertundunt inſignioremque ſubſtantiæ urethræ deperditionem junctam habent, quæ diutius inveterarunt profundiusque introrſum tendunt; nec minus, ſi multis anfractibus callo annoſo valdeque duro obductis partes perreptent propinquiores. Sic haud levibus quoque difficultatibus ſtipatur cura, ſi fiſtula orificio interius ſaltim reſpiciente dotata ſit, cum ſub hac conditione medela ipſi afferri nequeat, ſed potius chirurgus tuberculum exterius conſpicuum incidere neceſſe habeat, quo illa poſtmodum in toto ſuo ambitu pateſcat convenientique methodo tractari poſſit. Alias quidem parum moleſtiæ parit hæc fiſtulæ ſpecies & citra gravem noxam per aliquot annorum intervallum tolerari poteſt a patiente, modo tuberculum ſanie repletum diligentius exprimatur, quo materia ſanioſa per urethram excernatur hincque eo minus, cum longiori mora majorem contrahat acredinem, partes conterminas depaſcere atque exedere capax ſit.

§. XVI.

Quæ porro fiſtula ſimplici aut pluribus tractibus veſicam atque anum perforat altiusque has partes occupat, aut forſan ad oſſa Iſchii vel Pubis, vitium ſimul ipſis affricando, excurrit, quamvis tale exemplum in præſenti mihi non conſtet nec apud auctores offendere mihi contigerit, poſſibilitas tamen exiſtentiæ ejusdem ex hoc capite prorſus non rejicienda ſit, ea plerumque opem medentis omnem eludit ob ju-

ſtam neceſſariamque remediorum atque inſtrumentorum applicationem hic denegatam, hinc nihil ſolennius eſt, quam ut ſub tali ſtatu vires conſumantur, gravioraque mala, totam œconomiam animalem pervertentia, ut tabes, hectica, totales urinæ ſuppreſſiones, gangræna, quin ſphacelus, ſymptomatum ſæpius agmen claudens, opinione celerius inducantur. Mala quoque naſcitur prognoſis, quando ſenes, cachectici, ſcorbutici, lue venerea affecti tali fiſtula laborant, ſiquidem, niſi prius hi morbi, pabulum impurum ſemper ſubminiſtrantes, auferantur, quod etiam tam brevi temporis ſpatio perfici nequit, ſanationem ægerrime recipit. Tandem ſilentio haud prætereundum eſt, fiſtulam urethræ inveteratam, emunctorii naturalis quaſi vice fungentem, ſæpe corpus ab aliis morbis præſervare hancque ob rationem non ſemper ſecure ad conſolidationem perduci poſſe. Huic ſententiæ calculum adjicit Hildanus obſ. chirurg. 73. Cent. 5. exemplum viri in medium proferens, cui, cum fiſtulam ejusmodi multis laboribus cicatrice obduxiſſet, poſt curationem tot tantaque ſuperveniſſent ſymptomata, ut illam rurſus aperire coactus fuerit, quo facto æger non ſolum convaluiſſet, ſed & multos annos commode vixiſſet, neque conſolidationem fiſtulæ amplius tentare voluiſſet. Negandum quidem hic non eſt, hoc aſſertum non pro univerſali eſſe aſſumendum, ita ut ob metuenda pejora ſymptomata antiquæ fiſtulæ curatio nunquam ſuſcipi debeat; ſi enim peregrinam humorum dyſcraſiam congrua correctione & repurgatione, ut & matura & ſufficiente

impu-

impuritatum evacuatione immutare annitamur, metus hic facile evanescet: Id tamen probe tenendum est, hanc regulam utique applicationem invenire in majoribus nosocomiis & apud vilioris sortis atque conditionis homines. Quem enim fugit in xenodochiis, ubi ægrotantium copia affluit, non tam exacte curam læsionum externarum internam respici posse, sed potius saltim invigilari earum medelæ per remedia externa, hinc si labe exterius consolidata dimittantur, postea pejus se habent atque de aliis pathematibus, organa nobiliora pectus inprimis & caput invadentibus, conqueri incipiunt. Taceo quod si vel maxime depurandæ sanguinis massæ ratio habita fuerit, talismodi tamen subjecta, cum ipsis res sit nimis angusta domi, ob minus accurate servatum vitæ regimen pravam humorum qualitatem sibi rursus contrahant, ut itaque aut prius malum recrudescat, aut alii morbidi affectus corpus non sine periculo aggrediantur, id quod multiplici confirmari potest experientia.

§. XVII.

Perlustrata nunc & cognita morbi natura restat ut legibus semel cœpti ordinis insistam & qua ratione cura institui debeat, suppeditem; antequam vero ad ipsam curæ pertractationem me accingam, circumstantiæ quædam methodum medendi propius attingentes exponantur ac præmittantur necesse est. Chirurgus itaque ante omnia fistulæ qualitatem & ductum aliquot ante operationem suscipiendam diebus solertius perpendat exploretque, si fistula exti-

 mam

mam cutem perforaverit, beneficio inſtrumenti ſcrutationi inſervientis, ſive fuerit ſtylus ſive candela cerea, facta ſimul orificii, ſi non ſatis hiet, per turundas indendas dilatatione, num pluribus ſinibus quorſumque ii tendant, latius evagetur, quo poſtea firmum formare poſſit judicium, incaſſumne ſit laboraturus, an vero exoptatum nactura ſit ſucceſſum operatio. Præterea quoque Chirurgus impedimenta laudabilem ſanationem turbantia removere ſtudeat: quam ob rem mentem præcipue eo dirigat & conſideret, utrum cauſa interna fomitem huic malo præbeat, an viſcera patientis bene ſint conſtituta, quod ex firma aut iniqua corporis valetudine colligitur, an ſenectuti ſuccumbat, aut viribus exutus ſit. Quodſi enim patiens fuerit mali habitus, cacochymicus, vel lue venerea laboret, aut ſcorbuto tentetur, hi morbi antea ut ſuperentur & arceantur, ſana dictitat ratio, ſi infructuoſum curæ effectum experiri nolimus. Porro ſtudioſe obſervetur, num ſymptoma aliquod alicujus momenti ſupervenerit, utpote inſignis partis affectæ dolor, ſuborta inflammatio, præſentia febris & id genus alia, ex quacunque propullulent cauſa, operationis prorogationem exigunt atque tam diu ab illa abſtinendum eſſe ſuadent, donec pluribus præſidiis juxta artem & ſubjectorum differentiam uſurpatis ceſſerint, cum alias juſtus impendeat metus, ne in deterius labantur omnia atque ſymptomata periculi pleniſſima accerſantur.

§. XVIII.

Inter recenſitas has cautelas quoque referre convenit

venit præparationem ægrotantis, a sanioribus chirurgis in quavis operatione paulo difficilioris successus & eventus in usum trahi solitam. Cum enim in aprico positum sit, sanguini, dum motu suo in orbem redeunte partem hanc, a fistula exesam & corruptam, alluit, humorem ichorosum admisceri, inquinationi ipsius inducendæ haud parum patrocinantem & quidem hoc eo gravius, quo amplius fuerit ulcus; ita improbandum foret, si in præsente hoc casu, apparente quamvis adhuc sat vegeta corporis constitutione, sanguinis correctio pravarumque particularum abstersio & ejectio negligeretur. Ad hos effectus vero præstandos nil convenientius judico ordinatione decocti, singulis diebus aliquot vicibus calide bibendi & per reliquam affectus curam pro circumstantiarum ratione continuandi, ex sassapar. chin. bardan. lign. sassafras, herb. sanic. veronic. agrimon. & similibus parati, cui etiam lignum guajacum adjiciatur, utpote cujus usum egregium in sinuosis & fistulosis ulceribus omnibus miris prædicant laudibus Tagaultius l. 2. instit. chir. cap. 18. Forest. lib. 7. obs. chir. 16. aliique magni nominis auctores. Simul quoque eodem tempore laxantia binis aut tribus vicibus repetenda exhibeantur, ad cruditates in intestinorum canale stabulantes extra corporis compagem eliminandas. Et quoniam ulcerosæ ejusmodi corruptiones ab humorum abundantia magis foventur, ita præsente plethora sanguinem superfluum venæ sectione imminuere conducit. Nec minus diæta bona observetur, assumendo alimenta optimi succi &

facilis digeſtionis & fugiendo cane pejus & angue omnia nimis frigida, concoctu difficilia, acida, ſalſa æque ac animi pathemata graviora. Cæterum non absre erit, ſi brevi ante operationem clyſter injiciatur, quo alvus excrementorum ſarcinam deponat, cum alias facile ob dolores, quos ſub ſectione fiſtulæ ſubire neceſſe habet patiens, feces alvinæ excidant adeoque haud levem chirurgo afferant moleſtiam. Denique etiam tempore idoneo, quale horæ antemeridianæ, cœlum ſerenum & aër temperatus indicant, operationem inſtituere proficuum eſt. Et hæ ſunt notatu digniores circumſtantiæ, quæ chirurgo ante operationem adminiſtrandam cognitæ perſpectæque eſſe debent.

§. XIX.

Quibus omnibus ita ordine præmiſſis diſpiciendum jam eſt, quid auxilii adverſus hanc fiſtulam e chirurgia depromendum & qua ratione operatio ejus conficienda ſit. Sciendum autem eſt, duplici illam adornari poſſe modo & quidem vel ſepticorum applicatione vel ſectione, ubi tamen animadvertatur, utrasque has methodos in quavis fiſtulæ ſpecie non ſemper pari gaudere utilitate, ſed unam præ ultera majori pollere prærogativa accommodatioremque eſſe, quod e ſequenti fiſtularum cura tradenda diſtinctius palam fiet. Lubet autem initium capere a methodo ſanandi fiſtulam urethræ externam, quæ ſequentem in modum inſtituitur. Ægro, quemadmodum ſub lithotomia moris eſt, convenienter collocato, aut ſaltim lecto impoſito, capite & dorſo depreſſis

pressis & natibus aliqua ex parte elevatis diductisque sufficienter cruribus, ad perinæum eo melius conspiciendum, fistula quoad exteriora ordinario nimis angusta turunda ex spongia compressa, cera probe imbuta, extendatur aut, quod præferendum, apta incisione aperiatur, quo callositates magis denudentur & medicamenta eas consumentia rite applicari queant. Orificio itaque fistulæ satis amplo reddito septica linteo discerpto excipienda & callo admovenda sunt, quæ pro diversitate calli adhuc recentis aut jam inveterati leniora aut fortiora requiruntur. Omnium commodissime autem, cum solum digestivum, callo paulo duriore existente, voto non satisfaciat, hic adhibentur decoctum fol. tabac. cum unguento ægyptiaco & melle rosato invicem mixta & in unguentum redacta aut in liquidiori forma relicta, utpote quæ in superficiali impuritate mucosa abstergenda, fibrillis corruptis auferendis callositatibusque removendis efficaciter se gerunt. Vel loco hujus substituatur illud Sculteti, quod ex Merc. præcip. rubr. & mell. rosac. componitur & mediante plumaceolo callosæ duritiei imponendum est. Interea etiam in id incumbendum est, ut humorum affluxus præcludatur & ambitum occupans stasis discutiatur, cui fini obtinendo inserviunt resolventia, nervina, camphorata, si sacculis inclusa calide applicentur aut in emplastri forma usurpentur. Duritie tandem omni sublata detersoque vulnere cavitas nova carne replenda remediisque balsamicis e myrrha, succino, mastiche g. elem. balf. peruv. copaivæ con-

fectis

fectis fibrarum erosarum coalitio vulnerisque consolidatio adjuvetur. Quodsi plures autem adhuc sinus se visui offerant, ii pariter sectione dilatandi &, uti monitum, ulterius tractandi sunt.

§. XX.

Accessum nunc facio ad fistulam urethræ completam, quæ nempe interna & externa apertura prædita est, indagaturus, quomodo ope incisionis tanquam methodo reliquis longe anteponenda & uti illam ab exercitatioribus chirurgis, cum in Gallia, tum in Belgio, administratam vidi, auferri queat. Peragitur autem illa sequenti ratione: Ægro in decentem situm, in priori paragrapho descriptum, deducto & ab aliquot robustis viris detento, partim ut luci, chirurgo inter secandum necessariæ, haud quicquam obstare possit, partim ut æger dolorum vehementia vexatus operationem turbare nequeat, fistulæ orificium nimis arctum sectione dilatetur, dein callositates, latera foraminis urinam stillantis ambientes, cauta manu, absterso per vices sanguine, exscindantur, & removeantur, donec caro viva labiaque cruore recente turgida in conspectum veniant & faciliorem tutioremque curationem promittant, quibus ita gestis postea commodæ vulneris deligationis symptomatumque supervenientium allevationis exactior cura habeatur. Vulneri igitur lintea saltim sicca & discerpta aut ob graviorem forsan hæmorrhagiam complicatam plumaceoli adstringentibus pulverulentis conspersi vel liquidis imbuti, quo etiam pertinet spiritus vini rectificatissimus, inprimis

mis cum terebinth. g. elem. & maſtich. digeſtus, adplicentur, quibus deinceps compreſſulæ duplicatæ cum emplaſtro defenſivo ſuperimponantur, cavendo tamen, ne ſanguinis effluxus, qui, ſi moderatus fuerit, potius tolerandus eſt, ſimultaneo impetu cohibeatur majorque inflammatio, tumor, copioſiorque puris generatio cito pede ſubſequantur. Qua de cauſa ad mala hæc intercipienda conducit perinæi regionem more Gallorum ſpleniis oxycrato vel vino rubro ebriis diligentius fovere totumque tandem deligationis apparatum faſcia notiſſima, duplex quaſi T referente & poſt lithotomiam adhiberi ſolita, firmare, utpote quæ in ſpleniis firmius ſuſtentandis non ſolum punctum abſolvit omne, ſed & anum pro fecibus liberius excernendis minus obtectum relinquit. Primo interim apparatu altero die ſublato vulnus linteis mundis & mollibus vel ſpongia vino calido imbuta blande purgetur, lapisque moveatur omnis, ut labia ipſius decenter uniantur & tubuli vaſaque diſciſſa, ſucco vitali adhuc abundantia, quantum poſſibile ſibi adaptentur. Quem in finem balſamum Arcæi, Gallis in ejusmodi caſibus uſitatiſſimum, leni calore ſolutum vulneri immittendum exteriusque plumaceolis eodem balſamo oblitis illud operiendum probeque obſervandum, quo aëris, vulnera promte alterantis & ſuccos in motu ſuo valde impedientis, nimius concurſus aliæque injuriæ externæ ſub deligatione omni ſtudio arceantur. Ulterius autem adhuc monendum eſt, ut emplaſtris aliquot glutinantibus applicitis mutu-

 um

um labiorum contactum procuremus, in quo facilitando compressæ tenues lateraliter appositæ effectum quoque haud contemnendum exerent. Nec minus rationi consentaneum erit, si, tumore, inflammatione aut aliis gravioribus symptomatibus non obstantibus, vulnus uno vel altero suturæ puncto constringatur, quippe quo id efficitur, ut labia eo propius ad se invicem accedant hincque consolidatio magis accelerari possit. Deligatio porro non citius vel frequentius quam sana ratio suadet, instituatur adeoque singulis alternis saltem diebus renovetur, eo quod sæpius repetitæ religationes, nisi aliud quid urgeat, sanationem magis retardent, tantum abest, ut illam promoveant. Sub reliquo denique curæ tempore femora semper conjuncta teneantur, quæ in hunc scopum potius colliganda sunt hæcque simul adhibeatur cautela, ne sub perficiendis deligationibus nimis diducantur. Insuper ab omnibus incongruis motionibus abstineat æger, parum potulenti assumat atque tam diu in lecto se detineat, donec vulnus propemodum occlusum ambulationem moderatam non amplius prohibeat.

§. XXI.

Atque hac proposita methodo observata & ab experto chirurgo administrata asseverare audeo, quod fistula hæc tam rebellis & refractaria, nisi huic cedat, multo minus aliis curandi modis sit obtemperatura. Dolendum tamen, illam ipsam, circumstantiarum regularumque quantumvis omni-

um

um cura habita fuerit exactissima, ad perfectam nonnunquam consolidationem nulla arte perduci posse, inprimis ubi virus venereum primam suppeditavit causam & quidem partim ob substantiam urethræ nimiam deperditam, partim & quidem multoties ob urinam, vulnus sub transitu perpetuo alluentem & deterius reddentem, ut adeo etiam ad hujus derivationem per alium locum aut saltim, quo minus transfluxu suo ipsi vulneri noceat, varios a variis subinde excogitari modos noverim. Verum si levi meo judicio dicendum quod res est, omnibus iisdem modis ita comparatum esse mihi videtur, ut vel fistula in alio vesicæ loco ob cannulam pro emissione urinæ diutius detinendam excitari possit, vel urina omnis, crassiori & acriori, vesicam postea arrodente, retenta, non excernatur, vel alia incommoda haud flocci pendenda & pro diversitate methodi adhibendæ etiam diversa inducantur. Cum autem summæ inter sanandum difficultates a perito artifice sæpius præter spem debellentur, ita obstacula in præsenti casu se offerentia acutiori judicii lima majorique experientiæ firmitudine præditis pariter superanda relinquere consultum duco. Hisce discussis quædam adjungenda esse arbitror de sinubus scrotum perreptantibus & ob connexionem, quam fovent cum principe fistula, urinam transmittentibus. Tales itaque si præsto sint, prævia facta exploratione, quo itinere nimirum progrediantur, sectione at provida & circumspecta patefaciendi & deinde scarificandi sunt, quo facto sequenti deligatione callo-

sitatibus unguentum digestivum, cui, si illæ crassiores fuerint, aliquid ung. ægyptiac. vel merc. præcip. rubr. admisceatur, adplicandum atque tam diu continuandum, donec durities omnis remota fuerit, posthæc autem vulnus balsamicis tractandum & consolidandum est.

§. XXII.

Nunc e re fore existimo, ut quædam etiam de fistula urethræ interna notentur. Cum autem hæc, uti sub prognosi dictum fuit, non adeo periculosis symptomatibus stipata sit, modo invigiletur tuberculi in perinæo conspicui frequenti repurgationi per injectiones abstergentes & ejusdem expressioni ad saniem per meatum urinarium emittendam, quo diuturniori mora partes substratas eo minus corrodere possit: ita si cura ipsius efflagitetur a patiente aut ad majores partium erosiones evitandas ea magis proficua judicetur, convenit tuberculum, cum visu tum tactu præcipue si sanie turgeat discernendum, incisione aperire & explorare, qua ratione fistulæ qualitate comparatum sit, qua demum perspecta eidem methodo, quæ in fistulam completam sanandam adhibetur, insistatur. Quod tandem ad fistulas reliquum urethræ tractum occupantes attinet, sciendum, quod si occurrant, nullo alio præsidio melius sanari queant, quam labiis foraminis, per quod urina sub mictu æque ac semen sub coitu effluit, convenienter incisis, quo facto sanguinis laudabilis affluxu nova carnis rubellæ generatio facilitari possit: quo fine etiam ad urinam arcendam injuncto simul potu exiguo can-

nula

nula plumbea vel argentea in urethram usque ultra sectionis locum immittatur, tamdiu in ea relinquenda, donec vulnus bono balsamo vulnerario admoto carne sensim oppleri & consolidari incipiat.

§. XXIII.

Antequam tractationi huic coronidem imponam, pauca adhuc de diæta subjungenda restant. Talis autem servanda est, quæ morbo nullo modo patrocinatur, sed potius ipsius vim refringit, curamque properat. Evitentur itaque omni studio quævis acida, salsa, crassa & frigida semperque rationis freno dirigatur affectuum vehementia, utpote quibus omnibus indubitato malum exasperatur pejoremque nanciscitur conditionem. Potius animus ad tranquillitatem sit dispositus & exacta victus ratio observetur, parum inprimis potulenti ingerendo, nec non jura carnium, carnes teneriores, ova sorbilia & alios ejusdem generis cibos evpeptos capiendo, ubivis autem temperiei studeatur. Reliqua e prioribus satis patent, adeoque filum hic abrumpo supremoque Numini pro largita hactenus studiis meis benedictione gratias persolvo devotissimas.

Was Fleiß und Frömmigkeit nebst Tugend und Verstand
Bey Ihn mein Freund vermocht ist vielen schon bekandt,
Drum wünsch aus treuer Brust, daß Ihn nur nach meriten
Fortuna krönen mag durch angenehmen Suiten.

Hiermit hat dem Herren Respondenti als seinen werthesten Freunde, zu seiner schon längst verdienten Doctor-Würde hertzinniglich glückwünschen wollen, dessen aufrichtiger Freund und Diener

Johann Friedrich Oldehoff.

GEehrtster, Dein erfahrner Fleiß,
Der Kern für Spreu zu wehlen weiß,
Und Gold an statt der Schlacken liebet,
Ist würdig, daß ihm Kunst und Zeit,
Zum Merckmahl der Erkenntlichkeit
Den Lohn verdienter Ehre giebet:
Drum nimm Hygeens Lorbeer-Crantz;
Und wisse, daß sein reiner Glantz
Dich mehr als Perl und Demant schmücke.
Trift Hoffnung, Wunsch und Sehnsucht, ein:
So muß Dein Ruhm stets steigend seyn;
So spührst Du Wohlfahrt, Heyl und Glücke.

Zum zeichen seiner aufrichtigen Ergebenheit
schreib dieses des Herren Candidaten
verbundener Diener und Landsmann

Johann Victor Krause.

COrporis humani præstans Anatomica nostro
Tempore cognitio jamjam florere videtur,
Dum nova multa sagax multorum cura virorum
Protulit in lucem, densis quæ tecta sub umbris,
Inque dies semper nova detegit abdita quærit.
Sic fere certatim celebri versatur in arte
Quisque, salutavit primo qui limine Musas
Artis Apollineæ, seduloque cadavera cultro
Subjicit: ast multis animis gravis insidet error,
Ac si rimari subtilius arte minores
Corporis humani partes labor irritus esset,
Cum Medicina tamen fructus exinde recepit
Innumeros, ut non illud neget arte peritus.
Sed quid, amabo, juvat plebeja scientia talis,
Quæ nucleum spernens in cortice turpiter hæret?
Talis enim non est excellens arte magister,
Cujus prompta manus validas discerpere partes
Usu quam longo didicit, qualisque figura
Exterior, nexus, rudis & structura situsque

Parti-

Partibus his insint, oculo lustrasse fugaci
Contentus memori servat modo nomina mente:
Is vero est illa genuinus in arte peritus,
Qui solide, quantum potis est, perquirere curat
Subtiles partes, tamen ex quibus organa magna
Constant, ut verus pateat mox usus eorum
Et ratio fabricæ, morbosque fugare rebelles.
Sic nunc exemplo monstras, Doctissime BECKER,
Quantum contribuat perfecta scientia partis
Ad grave sæpe malum feliciter arte domandum,
Dum Tu, qui solide versatus in arte secandi,
Exstirpanda doces, quæ fistula fœda pudendo
Ulcera contraxit, primum quo fabrica constet
Causaque vera mali curas, tandemque medendi
Eruis inde modum docteque satisque perite.
Hinc quos jam dudum meruisti dignus, honores
Præmia ceu poscis studiorum digna Tuorum:
Gratulor ex animo, DEUS ut Tua cœpta secundet
Quævis & ex voto Tibi cedant omnia pleno;
Ingrediare Tuam felici sidere praxin,
Et supera chronicos morbos & pelle malignos,
Nec sine, quo lateat Tua pulchra scientia tecta,
En! hæc est animi sinceri tessera vera.

Ita Nobilissimo nec non Doctissimo Dn. Candidato, Fautori & Amico in oculis ferendo, multa cum laude ad Doctoris gradum in arte Medica adspiranti applaudit

Daniel Gottlob Thebesius,
Halens. Magdeb. Med. C.

SCripsit Virgilius: Labor improbus omnia vincit;
Hoc sibi mandatum plures habuere periti,
Expertique suo magno sunt postea fructu,
Quod canit hic vates, id vero verius esse;
Namque tulere sui jam præmia magna laboris.
Nunc &, Amice, Tuus labor improbus omnia vincit,

Nunc

Nunc quoque consequeris toleratæ præmia noctis,
Doctorisque decus Tua tempora docta coronat,
Sudoris gemmas gemmæ comitantur honoris.
Gratulor ex animo Tibi paucis versibus, & sit
Hæc ut læta dies similes illamque sequantur,
Innumeros morbos ut vincat provida cura.

Hisce Clarissimo Dn. Candidato gratulari voluit

J. C. J. Eller.

Mein Bruder, nimm die Frucht vollkommner Liebe hin;
Nimm den getreuen Wunsch, den ich Dir schuldig bin;
Verstatte, daß mein Hertz die rege Freude zeiget:
Da Dein bemühter Fleiß auf den Catheder steiget.
Und schließ ich gleich die Lust in enge Gräntzen ein:
So soll doch jedes Wort der Sehnsucht Zeugniß seyn.
Der Himmel wolle Dir Vergnügen, Ruh und Leben,
Glück, Ehre, Wohlergehn, in reichen Masse geben.

Dieses wünschet aus ungeheuchelter
Brüderlichen Liebe

Johann Andreas Becker.

DEbita virtuti dum fers, CARISSIME FRATER,
Præmia, dum merito fulget honore caput;
Gratulor ex animo, sperans felicia quæque,
Et dabit ex voto prospera cuncta DEUS.

Ita fratri optimo applaudere voluit

Joannes Adolphus Becker.

